

Gd. 62.



SCHEDIASMA ALTERUM  
DE VITA  
ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORUM,

A DIE, QUO CORONATUS EST, USQUE AD ANNUM  
MCCXCIV.

---

QUO  
AD L U S T R A T I O N E M  
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S I S  
V E R N A M

D. XXV. MENSIS MARTII, A. R. S. cIo Io CC LXXVI.

INSTITUENDAM,

PATRONOS, FAUTORES,  
ATQUE  
AMICOS LITTERARUM,

QUA PAR EST REVERENTIA, PIETATE ATQUE HUMANITATE,

INVITAT

JO. PETR. WAGNER,  
GYMNASII RECTOR.

---

WISBADII,  
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.

45 50  
*Addenda ad Schediasma I. p. 7.*

**N**on Regem Adolphum, sed ejus nepotem, Comitem *Wiesbadensem* castri *Adolphseck* conditorem fuisse, supra probare conati sumus. Ad hanc vero Sententiam firmandam plurimum valet prima *Gerlaci*, Archiepiscopi Moguntini, epistola supra citata, qua hoc castrum, ut feudum oblatum, a. MCCCLVI. Comiti *Wiesbadensi* his verbis reddidit:

Wir Gerlach, — des heiligen Stuels zu Mainz Erzbischoff — — thun kundt; — das der Eble Adolff, Graf zu Nassau, Unser lieber Bruder — Uns und Unserm Stifft solchen Bergk, der da liegt uff der Arde, uff der Seiten, da Schwalbach das Dorff gelegen ist, daruff er einen burglichen Bau begriffen hat, das ein Burgk seyn soll, und soll hayschen (heissen) Adolffs-Eck, ussgegeben hat, und hat er den Bergk mit dem Bau wieder zu rechten Lehen von Uns und Unserm vorgebachten Stifft empfangen; und han Wir Ihm und seinen rechten Erben — — den Bergk und Burgk — — zu rechten Lehen ewiglich geliehen, und leyhen mit diesem Briue, — — der geben ist zu Frisklahr uff den nahesten Donnerstag nach St. Valentini Tage des Wertelers nach Christus Geburt dreizehn hundert Jahr, darnach in dem sechs und sunffzigsten Jahre.

Vid. Jo. Nicol. Hertii Commentationes, ed. Francof. 1737. Volum. I. p. 404.

Igitur *Gerlacus* & *Adolphus* erant fratres, adeoque nepotes Regis *Adolphi*. Ex verbis *Gerlaci* intelligitur, Comitem *Adolphum* opus inchoasse, in castrum perficiendum. Simul solennis mentio nominis, quo in posterum hoc castrum insigniri debebat, testatur de novitate operis. Quae minus apte dicta fuissent, si *Adolphus* Comes illius tantum restaurator, non conditor existimandus esset.

Ceterum in litteris quorundam saepius fit mentio de castro *Adolphus-Lück*, vel *Adolphus-Lyk*, ejusque conditorem eundem *Adolphum*, Regis nepotem, perhibent. At si quis est, qui nobis in terra *Nassovica* situm hujus castri exponat, nobis fecerit gratissimum. Nec ego, neque alii viri antiquitatis curiosi in exquirendo hoc loco prope castrum *Adolphseck* facti sunt voti compotes. *Georgisch* quidem in *Regest. chron. dipl.* T. II, ada. MCCCLVI. n. 32. p. 578. recenset ex *Lunigii* *Spicil. Secul. 1. Th.* p. 638. epistolam *Gerlaci*, Archiepiscopi Moguntini, qua ille *Adolpho*, Comiti *Nassovio* castrum *Adolphus-Lyk* in feudum concessisse dicitur. Sed idem locus, annus, dies, quibus haec litterae cum Superioribus de castro *Adolphseck* congruunt, me facile in opinionem adducunt, argumentum hujus tabulae ab illa, quam *Supra* retuli, non differre adeoque per errorem cujusdam lectoris *Adolphus-Lyk* pro *Adolphus-Eck* in describendo positum fuisse videtur; atque ita castrum *Adolphus-Lyk* in hominum memoria caput extulisse quidem; inter muros & fossas autem & esse & fuisse nusquam gentium.



CONTINUATIO VITAE ADOLPHI NASSOVII,  
REGIS ROMANORUM A. MCCXCII.



Hactenus vitam *Adolphi Nassovii*, Regis Romanorum, usque ad diem, quo Aquisgrani coronatus & consecratus est, exposui. Nunc res alias, quæ partim ad solemnia hujus diei spectant, partim posterius acciderunt, persequamur, res quidem magnas, de quibus autem memoriam accepimus in hominum literis, ut temporibus illis, improvidis & parce fervientibus posteritati. Dabunt igitur veniam æqui lectores in tenuitate publica versantibus, ut, quam expectationem excitavimus, eam sustinere ac tueri possimus: si, quæ alii tradiderunt, vera dicentur, nil ultra requiratis.

Igitur *insignia Imperii*, quæ *Dux Albertus* præoccupaverat, quibus vero jam ad coronandum *Adolphum* Aquisgrani opus erat, Albertum novo Regi tradidisse existimant. (a)

D 2

Atque

(a) Continuat. Martini Poloni apud Eckart Corp. Hist. med. ævi p. 1429. & Anonymus Leobienfis apud P. Pezii Script. Austr. T. I. p. 868.

Et si vero in Schediasm. I. p. 12. Sententiam illorum secutus sum, qui credant, *Rudolphum I.* insignia Imperii in castro *Trifels* reliquisse, tamen illa jam mihi valde dubia videntur. Neque ab antiquis temporibus hoc castrum *Trifels* illis insignibus sacratum fuisse confirmare audeo: veteres potius Imperatores illa secum habuisse, secumque portasse videntur. Chronicon quidem Magdeburgense

Atque hunc diem festum *Principes Electores*, quotquot electioni Francofurti adfuerint, Aquisgrani concelebrasse videntur, præter *Ludovicum Palatinum*, qui, ut supra monuimus, Comitibus Francofurtensibus iratus excessisse putatur. (\*)

Quum igitur probabile esse, supra cognovimus, *Albrechtum* Ducem Saxoniae, & *Ottoneum Longum*, Marchionem Brandenburgicum, electionem *Adolphi* praesentia sua Francofurti ornasse; iisdem rationibus impulsus, conjectura consequimur, eosdem hoc tempore *Aquisgrani* apparuisse. (\*\*)

De praesentia trium *Archiepiscoporum* multo certiora sunt indicia. (\*\*\*)

Præter istos, quos diximus, aderant viri illustrissimi, qui *Adolphum* Aquisgranum deduxerant, *legati Bohemienfes*; nec non *Henricus I.* Hassiae Landgravius; *Joannes*, Dynastes de Limburg, frater Reginae Imaginae; *Ludovicus*, vice-dominus Rhenogaviae; *Theodoricus*, Burggravius de Starckenberg. (†)

Sed hoc tempore, quo *Adolphus* noster electus & coronatus fuit, sedes St. Petri Romae vacabat. Namque Pontifice *Nicolao IV.* hoc anno d. IV. Aprilis,

burgense apud *Meibomium T. II.* narrat, Regem *Henricum V.* morientem praecipuisse, ut insignia Imperii in castrum *Trifels* portarentur: Sed *Abbas Urspergensis* multo antiquior est testis, scribens hunc Regem illa in castrum *Hammerstein* transferenda curasse.

*Crollius* de Anvilla (Ge. Fried. Lud. Mueller Or. de Anvilla, cum obss. Iq. Phil. & Ge. Christ. Colliorum, Biponti 1767. 4.) p. 129. not. \*\* credit quidem, Regibus Suevicis regnantibus, hæc insignia plerumque in castrum *Trifels* propterea custodita fuisse, quod *Anvilla* & castrum *Trifels*, ubi Suevici Reges sæpe commorati sint, ad possessiones Principum hujus generis pertinuerint. Sed ex hac ratione nulla hujus castri prerogativa conjici potest, nisi id moris, insignia in illo loco, ubi Rex versatus sit, deprehensa fuisse. Quum igitur *Anvilla* in bonis propriis Imperatorum Suevicorum numeretur, simul ratio apparet, cur Cancellarius Regis *Philippi, Conradus*, Episcopus *Spirensis*, quod narrat *Eisengrein*, insignia Imperii in castrum *Trifels* condiderit. Atque ita fieri potuit, ut, *Friederico II.* & *Conrado IV.* imperium obtinentibus, illa in hoc castrum sæpissime servarentur. Neque vero ex his aliud colligendum est, quam id, pro isto more non esse mirum, quod post extinctum Regum Suevicorum genus tempore Interregni, quod dicunt, sæpius in castrum *Trifels* insignia fuerint condita. Hinc probabilius mihi eorum sententia videtur, qui statuunt, *Rudolphum I.* temporum statu mutato, ante mortem suam illa Imperii insignia in castrum *Kyburgum* transferri jussisse. conf. Contin. Martini Poloni & Anonymus *Leobienfis* l. c.

(\*) Conf. *Schediasm.* I. p. 16.

(\*\*) Eodem loco.

(\*\*\*) *Sigfridus* Colonienfis *Adolpho* coronam imposuit. conf. *Sched.* I. p. 20. De praesentia *Moguntini* & *Trevirensis* annales *Colmarienfes* ad a. 1292. hæc referunt: equos phaleratos habuerunt; *Moguntinus* mille quingentos; *Trevirensis* MCCC. scilicet *Aquisgrani*, de quo sermo est.

(†) *Gudenus* Cod. Dipl. T. I. p. 859. conf. *Leuthorn's* *aussführliche Geschichte der Hessen*, B. V. p. 71.

Aprilis, adeoque ante *Adolphum* electum mortuo, per diffidia Patrum purpuratorum interregnum in imperio Ecclesiastico Romæ fuit biennium. Duæ erant factiones inter eligendum *Pontificem*, quarum capita erant *Matthæus Rubeus de Orsini*, & *Jacob de Coloma*. (b)

Etsi ita *Adolphus* ad ipsum *Pontificem* hoc tempore pro more legatos mittere non poterat, tamen non multo post susceptam dignitatem regiam ad collegium *Purpuratorum* pro electionis suæ approbatione *Comitem Oettingensem* transmisit Romam, qui statim, quod voluit, cum summa gratulatione & lætitia consecutus est, factione tamen *Orsini* Austriæ Duci *Alberto* clam; *Colomæ Adolpho* palam favente. (c)

At redeamus *Aquisgranum*, ubi Rex post acceptam coronam aliquot dies moratus, nonnullis negotiis memoria dignis suam impendebat operam.

Igitur legati Bohemienfis, Regem *Aquisgranum* comitati, antequam ad Dominum suum redirent, de qua re supra dictum est, *Adolphus* Rex eorum cum illis de dote filix *Wenceslai* d. XXX. Jun. *Aquisgrani* accuratius agendum putavit.

Intererant huic negotio viri honorabiles, & strenui, *Bernhardus*, Præpositus *Misnensis*, *Heynemannus*, summus Camerarius regni Bohemiæ; *Albertus de Seberg*, *Burggravius de Kadano*, & *Tobias de Bechin*, *Burggravius de Vroburg*, Regis Bohemiæ procuratores & nuncii.

*Wenceslaus*, Rex Bohemiæ, *Ruperto*, *Adolphi* filio, X. millia marcarum argenti nomine dotis pollicebatur: quo pretio compararent certa prædia & possessiones.

*Adolphus* vero filix *Wenceslai* X. millia marcarum argenti præstare repromittebat, nuptiis abhinc ad annum celebrandis. Pro quibus X. millibus marcarum oppidum *Wiesbadium*, castrum & oppidum *Idsteinam*, & castrum *Sonnenberg*, cum omnibus, quæ ad illa pertinebant, pignori dedit. Simul

D 3

pro-

(b) Vitæ Pontificum Romanor. in Muratorii script. Ital. T. III. P. I. p. 612. Raynaldi contin. Annal. eccles. Baron. T. XIV. ad a. 1292. n. 17. seq. p. 456.

(c) Aventini Annal. p. 687. Contin. Mart. Poloni p. 1429. seq. Anonym. Leob. Chron. L. III. c. I. Quo die vero hæc legatio suscepta sit, Scriptores non memorant.

Continuat. Martin. Poloni hæc habet: Interim *Adolphus* ad summum Pontificem pro electionis suæ approbatione ac confirmatione transmisit Comitem de Oettingue, qui petita statim cum multo gaudio reportavit.

Anonymus Leobienfis parum mutatis verbis utitur: *Adolphus* virum expeditum de Oettingue ad summum Pontificem dirigit, qui celeriter approbationem & confirmationem electionis suo cum gaudio reportavit. Sed in eo errantambo scriptores, credentes, legatos *Adolphi Nicolai IV.* adhuc inter vivos vidisse, sine dubio decepti festinatione *Platina*, qui jam in vita Nicolai IV. de *Adolpho* mentionem facere anticipaverat. Caterum quo die hæc legatio suscepta sit, non liquet, licet facile intellectu sit, hanc legationem ab illa, quæ postea ad *Bonifacium VIII.* missa est, discernendam esse.

providebant, quæ ratio harum viginti marcarum habenda esset, altero conjugum medio sublato. Quod pactum *Henricus I.* Hassiæ Landgravius, *Joannes*, Dynastes de Limburg, frater Reginae Imaginæ, *Ludovicus*, vice-dominus Rhenogaviæ, & *Theodoricus*, Burggravius de Starckenberg nomine Regis *Adolphi* jurejurando confirmarunt. (d)

Quas vero nuptias irritas fecisse, & inuuptas Serenissimæ sponsæ mortem, jam supra diximus. (\*)

Quibus confectis, *Gerhardus II.* Archiepiscopus Moguntinus, tempus esse arbitrabatur, ob merita sua varias *Adolpho* adferendi postulationes, quibus etiam Rex Calendis Julii *Aquisgrani* concessit, atque de illis dedit fidem.

Igitur *Adolphus* operam pollicebatur Suam, ut cives Moguntini quandam multam sex millium marcarum, quam ex mandato Regis *Rudolphi I.* *Henrico*, Archiepiscopo suo debebant, *Gerhardo* persolverent.

Recipiebat porro, invito *Gerhardo*, se neque *Ulrici*, comitis Hanovix, opera usurum in militia, neque ejus secuturum consilia, neque cum illo familiariter victurum, neque alio modo collaturum in illum beneficia.

Eodem more ac modo se cum Magistro *Henrico de Clingenberg* acturum esse Rex pollicebatur.

Sex *villis* Ecclesiæ Moguntinæ, quarum nomina non memoriæ sunt prodita, ad instar oppidorum Imperialium libertatem donaturum statuebat

*Sigfridum*, Dynasten de Eppenstein, *Gerhardi* & *Adolphi* consanguineum, Castrensem *Friedbergæ* se facturum esse promisit, concessis illi in feudum castrense mansis XII. in Mærchia, quæ vocabatur *Ockstadter Mærck*.

Idem se castrum *Ballenhusium* per nobilem virum *Gerlacum de Breu-berg* Archiepiscopo Moguntino oppignoratum, negabat repetiturum, nisi mille marcis argenti puri illi persolutis.

Contra *Duces Brunsvicensis* aliosque *Gerhardi* hostes se profitebatur adiutorem.

Præterea Rex *Advocatiæ Lohnsteinensem*, nec non *vestigal Imperii Boppardiense*, quod *Uvidezol* vulgo appellabatur, & *Lohnsteinense* *Gerhardo* liberaliter concessit.

Aes alienum hujus Archiepiscopi, quo curiæ Romanæ fuit obstrictus, suscipiebat *Adolphus*. Quem horum bonorum non satiasset donatio, honorumque assignatio? Nondum tamen Rex ex ære *Gerhardi*, quod *Francofurti* pernumeratum erat, exiisse visus est; Sed id non sine usura se redditurum esse, profitebatur.

Denique hoc die *Adolphus* illi *præfecturam Mulhusii & Northusii* commisit. (e)

Hoc

(d) Gudenus Cod. dipl. T. I. p. 859.

(\*) Conf. Schediasma I. p. 19.

(e) Gudenus I. c. p. 861. seqq.



Hæc igitur promissa qui accurate considerat, facile perspiciet, *Gerhardum* eosuisse animo, qui nec ipsi gloriae, neque *Adolpho* commodo esse poterit, adeoque non mirum, si *Adolphus* inter postulationes *Gerhardi* temporibus cedens, postea nonnullis promissis iniquis omnino non satis fecerit. (\*)

Jam vero *Adolphus* Aquisgrano solvere statuerat. Nec longe ab hoc loco abest *Monasterium Burcense*: ibi fuisse *Adolphum* d. II. Jul. testatur mandatum ad *Valentinianenses* missum, ut ad quatuor hebdomades, ubicunque ipse moraretur, super injuriis, quibus Regem *Romanum*, & *Joannem*, Comitem *Hannoniæ*, Dominum suum, cui dicto audientes non erant, lacesseverant, quæstioni apparerent. (f)

Neque multo post Rex tendebat *Bonnam*, quo etiam *Gerhardus* Moguntinus illam comitatus erat: atque hoc loco *Adolphus* illi non solum dignitatem *Archicancellarii* per Germaniam d. V. Jul. confirmabat, (g) sed etiam ut *Judæos* Moguntinos jure feudali præ more majorum, retineret, d. XXVIII. Jul. decernebat. Simul ipsi hoc die, quem modo diximus, voluntatem suam declaravit, oppidum *Seligenstadt* & Comitatum *Bachgau* recuperandi, causam interferens, Ecclesiam Moguntinam per *Rudolphum I.* antea illis locis violenter esse spoliatam. (h)

Causam repugnantium *Valentinianensium*, quam *Adolphus* in *Monasterio Burcensi* exquirere instituerat, etiam *Bonnæ* sedulo persequebatur. Comes enim *Hannoniensis* hic iterum Regem nostrum convenit, cujus opem in sua causa cum civibus jam ante imploraverat. Qua data occasione iste Comes

Quæret quispiam, cur vir nobilis de *Clingenberg*, & Comes *Hanoviensis* *Gerhardo* tantopere displicuerint? Non est difficile respondere. Non fugiebat *Gerhardum*, Cancellarium de *Clingenberg*, & Comitem *Utricum* Hanoviensem in primis consiliariis *Rudolphi I.* fuisse, qui aderant in magnis rebus, ut eorum prudentia & fides ad illius gloriam & felicitatem Imperii multum valerent. conf. *Mallinkrot* de Archicancellariis Imperii p. 104.

At *Gerhardus* magna concupiscens, nullam aliam ob causam auctor fuisse *Adolphi* eligendi dicitur, nisi ut ipse esset Rex, nomen vero & majestatis speciem relinqueret *Adolpho*: quod facile intelligitur ex odio, quo *Gerhardus* postea eundem *Adolphum* persecutus est, cum ille *Gerhardo* minus indulgeret, ac suam potius judicium sequeretur. Itaque *Gerhardus* verens, ne, si Rex illos prudentes & fideles viros secum haberet, suis resisterent consiliis, hos ut ab *Adolpho* removeret, omnem movebat lapidem.

Præterea manebat alta mente repositum, quod oppidum *Seligenstadt* & Comitatum *Bachgau*, quæ ad Ecclesiam Moguntinam pertinere credebatur, Comiti Hanovienfi antea adjudicaverat *Rudolphus I.* conf. *Gud. l. c. p. 866.*

(\*) Cic. *Epist. L. XII. c. I.* At enim ita decrevimus, inquit *Cicero*: fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ valent in republica plurimum: Sed immeritate quidem & ingrate nostra facilitate abutuntur.

(f) *Edmundus Martene & Durandus Thes. N. anecdot. T. I. p. 1245.*

(g) *Lunigii Spicil. eccles. 1 Th. Forts. p. 44. n. 47.*

(h) *Gudenus l. c. p. 866.*

Comes protulit litteras, quibus *Rudolphus I.* extremo sui imperii tempore, postquam injuriam *Valentinianensium* moleste tulerat, gravissima dederat mandata, ut, quæ debebant officia, *Domino* diligenter præstarent suo. Rex igitur *Adolphus* non secus, atque *Rudolphus* sentiens, illius litteras recognovit, ejusque Sententiam suo nomine ac sigillo d. VII. Augusti Bonnæ confirmare non dubitabat. (i)

Quibus negotiis in medio positum est atque manifestum, quantæ molis tum fuerit imperio præesse. Reges certe nondum didicerant, longis uti manibus, quod post factum est, ubi res maximæ & remotissimæ legatorum opera alia alii subdiditicia explicantur & expediuntur facile. Noster rebus interesse regium putabat. Hinc illæ protectiones & reversiones, in quarum laboramus vestigiis.

*Bonna* itaque relicta, *Adolphus* *Coloniam* profectus est. Hic cum aliquot menses versaretur, variis negotiis ibi peractis illustratus est. Igitur antequam *Principes Imperii*, adhuc novum Regem comitati, discederent, in conventu solenni consilia securitatis publicæ cum illis confociare statuerat. Sed inter hæc pacis negotia etiam aliarum rerum, quibus opus erat, gessit curam.

Jam XXIII. Aug. *Adolphum* nostrum fuisse *Colonie*, intelligitur ex negotio, quo quoddam privilegium olim ab *Adolpho*, Archiepiscopò *Coloniensi Abbatia Werdensi* a. MCCII. concessum auctoritate regia renovabat. (k)

Neque hoc tempore *Valentinianæ* erant pacatæ & tranquillæ. Adhuc frustra *Rudolphus* & *Adolphus*, Reges Romani in causâ hujus civitatis laboraverant: apud rebelles emendatio temeritatis erat nulla; imo manabat malum & corroborabatur quotidie. Qua igitur causâ penitus cognita, *Adolphus* ad illud malum comprimendum, auctoribus sceleris, quorum magna erat copia, d. IX. Sept. notam proscriptionis *Coloniæ* inussit. (l)

Post hæc non dubitabat Regem nostrum adire *Joannes*, *Dux Lotharingiæ & Limburgi*, cujus captivus quondam in proelio *Woringensi* factus fuerat *Adolphus*: qui cum peteret, ut sua sibi feuda confirmarentur, quæ vóluit, d. XV. Sept. facile impetravit. (m) Quid vero fuerit aptius ad delectationem *Adolphi*, quam hæ temporum varietates, fortunæque vicissitudines? *Habet enim præteriti doloris secreta recordatio delectationem.*

Cir-

(i) Martene I. c. p. 1241. & 1243.

(k) *Adolphus* — Rex Romanorum — noverit præsens ætas & successura posteritas, quod nos privilegium *Adolphi* quondam sanctæ *Coloniensis* Ecclesiæ Archiepiscopi — Præposito, Decano totique Capitulo *Werdensi* traditum vidimus. — Nos igitur prædictum privilegium in omnibus suis articulis — innovamus, confirmamus — Datum *Coloniæ* X. Calendar. Sept. MCCLXXX. secundo.

(l) Martene I. c. p. 1248.

(m) *Lunigii* Cod. Germ. dipl. T. II. p. 1154. Conf. *Schediasm.* I. p. 9. *Cuspianus* de *Cæsaribus* p. 443.

Circiter id tempus factum esse videtur, ut etiam *Henricus, Comes Luxemburgensis*, postea Rex Romanorum, *Adolpho* clientis officium præstaret. (\*)

Neque eodem loco & tempore *Abbatia Thorensis*, diœceseos Leodiensis tulit repulsam, petens ab *Adolpho*, ut duas donationes, olim a Comite *Ansfride & Henrico*, Romanorum Rege, ipsi factas, auctoritate sua confirmaret. (\*\*)

Inter hæc negotia res publica Germaniæ, cujus causa Principes potissimum convenerant, in *Comitiis Colonia* præclarissime fuit gesta. Namque *Adolphus* pacem publicam a Rege *Friederico II.* a. MCCXXXV. Moguntia; & a *Rudolpho I.* Herbipoli a. MCCLXXXVII. certis legibus constitutam, in tres annos d. III. Octobr. confirmavit: quæ initium duceret a die *Joannis Baptistæ* a. MCCXCIII. (n)

Rex verò, ante quam *Colonia* decederet, apud animam *Archiepiscopi Colonia*, *Sigfridi* amicissimi, reliquit testatum, quanti ipsum faceret, *Advocatiam & judicium Ecclesiæ Essendiensis* exercendum, d. V. Octobr. illi restituens. (o)

Quibus igitur expeditis, *Adolphus Oppenheimium* proficisci parabat, quo *Albertum*, Ducem *Austriæ* venire jusserat, ut illius terras ad solenne in auspiciis obsequium reciperet. (p)

Venit eo *Albertus Dux*, qui hoc tempore ad civitatem *Tigurum* bel-laverat, d. XXIX. Aug. pactis cum hoste induciis. (q)

Dubitabat primo *Albertus* de toto consilio professionis ad *Adolphum*: commotus fastu, invidia atque metu diversus agitabatur. Vicit tamen consilium *Ludovici*, Comitis *Palatini*, ne amplius morando *Adolphum* incenderet. (r)

Igitur Rex hunc, qui *Oppenheimium* venit, benigne accepit: illi non solum jure beneficiario terras *Austriacas* tribuit, sed etiam ad alias conditiones liberalissime descendit. Quam ob causam cum postea *Episcopus Constantiensis* de injuria *Alberti* questus, auxilium Regis imploraret, hic *Alberti*

E

bene-

(\*) Leibnizii Mantissa Cod. Jur. Gent. dipl. P. II. p. 196.

(\*\*) Lunigii part. spec. cont. II. Fortf. III. p. 920.

(n) Lehmanns Speyer. Chron. p. 573.

(o) Joannis Specil. I. p. 23.

(p) Ottobars von Horneck Reimchron. von Desferr. cap. 549. in Hier. Pezii Script. Austr. T. III. p. 519. Etiam Hanthaler in Fastis campilili id *Oppenheimium* accidisse contendit. conf. Häberlin R. Hist. B. II. p. 635.

P. Barre in Histoire generale d'Allemagne T. VI. p. 261. putat, *Albertum*, cum *Adolpho* coronaretur, *Aquisgrani* apparuisse, atque in hoc loco præstitisse homagium; sed consensus aliorum scriptorum desideratur.

(q) Aeg. Tschudii Chron. Helv. P. I. L. IV. p. 208. seqq.

(r) Zuger Spiegel der Ehren des Erzhauses Desferr. p. 209.

benevolentiam ita tueri studuisse dicitur, ut Episcopi verba contemneret, eumque, si qua offensio animi facta esset, magis pacis, quam iræ consulere moneret. (s)

Etsi vero tempus, quo *Adolphus & Albertus Oppenheimii* convenerunt, minus accurate definiri possit, tamen id circiter priores Novembris dies accidisse videtur. Rex enim hoc tempore Oppenheimii etiam aliis rebus navabat operam; sicut d. III. Nov. in hoc oppido quædam beneficia *Godfrido* de Eppenstein deerevit, illi XXV. marcarum reditus singulis annis Francofurti a Judæis percipiendos in feudum concedens. (t)

Eodem loco hoc tempore litigantes fratres, *Dither & Wilhelmus*, Comites Carimlibenses, filii *Ditheri & Margarethæ*, Regem nostrum adibant: quorum igitur causa cognita, *Adolphus*, ut ad pacationem venirent, effecit (\*).

Hæc igitur negotia postquam Rex Oppenheimii confecerat, se *Wormatiam* contulit: in quo loco jam d. X. Nov. versabatur, cum *Archiepiscopo Moguntino* omnes donationes jura & privilegia, quæ ad Ecclesiam ejus pertinebant, confirmaret. (u)

Itaque post istam feudorum collationem Oppenheimii factam, *Albertus* commode de *Adolpho* sentire videbatur: summam crederes necessitudinem officii mutuis esse constitutam: sed non multo post *Albertus* fictæ reconciliationis haud obscura signa dedit.

Atque si verum est, quod nemo dubitat, simulatum nihil esse diuturnum, cito evanuisse in Alberti arrogantia, quicquid initio prætenderit comitatus, mirum non erit. Si quidem ejus animum exulceraverat prærepti Imperii frustratio, cumque implacabili odio dolorem attulerat in expiabilem.

Cui accedebat, cum videret, Regem viri nobilis de Sommerau, qui Austria pulsus erat, opera & necessitate domi & in aula uti. Igitur, quum paulo post *Adolphus* missis legatis affinitatem ambiret, filioque suo nubere filiam Alberti expeteret; *Albertus*, ut erat animi fastidiosi, atque incommodi, respondisse fertur: fieri id posse una modo cautione & provisione, ut filiam *Principi* videat

(s) Hist. austr. plen. a. 1292. in Freheri Script. T. I. p. 481. Anonym. Leob. Chron. L. III. c. 1. l. c. p. 868. v. Hornetf l. c. cap. 552. p. 521. Tschudii Chron. l. c. Häberlin l. c.

Non fide dignum est testimonium Dietheri de Helmetat, qui apud Schanath vindem. Coll. II. p. 62. ita temere judicat: Rex *Adolphus* Dominum *Albertum* de Ducatibus, quos a Rege in feudum habere debebat, non solum in feudare non curabat, sed & sibi eosdem Ducatus auferre conabatur. Alium errorem refert *Continuat. Martini Pol.* ad a. 1292.. Si asserit, *Laudemium*, quod *Albertus* solvere debuisset, modum excessisse: quod minus verosimile est, cum *Adolphus* se affinitate cum *Alberto* devincire studeret.

(t) Joannis Spicil. I. p. 324.

(\*) Luca Grafen = Saal p. 184.

(u) Lunigii Spicil. Eccl. I Th. Forst. p. 43.

videat collocatam *Principem*. Quorsum hæc oratio spectaverit, in perfacili cognitione versatur. Certe ille *Adolphi* animum graviter offendit, abalienavitque contemnendo. (x)

Contra *Alberto* displicebat, neque is æquo animo ferebat, audiens, *Adolphum* ad criminationem *Episcopi Salisburgensis*, cum *Alberto* litigantis, aures adaperuisse. (y)

Cæterum *Albertus Oppenheimio* discedens (inde enim divertit oratio) petiit *Helvetiam*, veteres suos hostes persecuturus bello; neque prius inde, quam a. MCCXCIII. in *Austriam* rediit. (z)

At *Adolpho* nihil majori fuit curæ, quam ut regni necessaria disposeret, omnibusque locis securitati & tranquillitati inserviret.

Quam ob causam d. XVIII. Nov. *Joannem*, Ducem *Lotharingæ*, *Brandiæ* & *Limburgi*, cujus belli & pacis virtutem in proelio *Woringensi* cognoverat, constituebat *Advocatum provincialem*, *Rectorem* & *Judicem Generalem* in *Aquis* & terris, a partibus circa fluvium *Mosellam* usque ad partes maris, & ex parte *Rheni* altera versus *Westphalam*. (a)

At si qua in parte regni *Adolpho* celeriter providendum fuit, certe *Alsatia* putanda est, unde post electionem novi Regis tumultuosiora nuntiabantur.

Etenim vix *Rudolphus I.* vitam posuerat, cum *Conradus de Lichtenberg*, *Episcopus Argentinenis* ante electionem *Adolphi Colmarium* in suam redegressisset potestatem, mittens fratrem suum, *Friedericum*, *Præpositum* *Argentoratensem*, cui *Colmarienses* jure jurando fidem promiserant. Si quidem *Albertus Austriacus* illo tempore in spem Imperii adductus, *Episcopo Colmarium* promississe videtur, si ipsi contingeret, ut fieret *Rex Romanorum*: qualia promissa etiam fecerat *Hartardo de Mehrenberg*. (b)

E 2

Quid?

(x) *Albertus Argent. Chron.* p. 109. a quo Duce (*Alberto*) cum postea missis legatis Rex peteret, filio suo Ducis filiam copulari; Dux respondit: Se si posset ex filia sua facere Principem; hoc facturum. Vel quod Rex filiam suam qui ex filii Ducis conjungeret, quem se Principem facturum, promitteret. Ex quibus & aliis inter Regem & Ducem odium est subortum. Etsi igitur *Cuspianus de Cæsaribus* p. 443. credat, *Adolphum* statim sub feudorum collatione *Oppenheimii* filio suo petiisse filium *Alberti*, tamen *Alberti Argentoratensis* sententia nobis probabilior videtur, illud per nuncios missos esse actum.

(y) *Hornec* c. 632-634. l. c. p. 583. seq.

(z) *Tschudii Chron.* P. I. L. IV. p. 211. seq. Itaque minus firma illorum sententia esse videtur, qui putant, *Albertum*, *Oppenheimio* relicto, recta rediisse *Vinnam*: hæc enim scribit *Unrest* in *Chron. Carinth.* apud *Hahn Collect. Monum.* I. p. 515. *Dech empfienge Herica Albert seine Leben auf der Raif von Kunig Adolfsen, und sur wieder gen Wien.* *Conf. Zuger*, l. c.

(a) *Lunigii Cod. Germ. dipl.* P. II. p. 1155. seq. Quo loco hæ litteræ datæ sint, non liquet.

(b) *Conf. Schediasma I.* p. 13.

Quid? quod post electionem Adolphi iste Episcopus plurimæque civitates Alfatia partes Alberti sequebantur. Equidem ex hac causa & conatibus maximam & detestabilem temeritatem, contemtionem, invidiam & seditionem cognosci posse, non dubito. Quibus Rex permotus, in Alfatiam se conferendum putavit, præmissa sua *conjuge*, quæ, dum Rex Oppenheimii, Wormatiæ, vel aliis locis morabatur, jam ultimo die mensis octobris *Brisacum* pervenit (c)

Ipse *Adolphus* subsecutus est, eumque d. II. Decembr. *Hagenoviae* invenimus: quo loco plurimum temporis contrivisse ex variis litteris ibi datis intelligendum est.

Nam d. II. Decembr. *Castrensibus Friedbergæ* dimidium census, quem vocabant *Ungeld*, in subsidium ædificiorum & reparationem castrî benigne concessit. (d)

D. XIII. Decembr. nobilem virum de *Mehrenberg* dignitate *Castellani* hereditarii in castro *Kalsmunt* prope *Wezlarium* ornavit, ducentis marcis denariorum Colonienfium promissis (e)

Sed ad delicta Alfatia corrigenda partim officium *Advocatorum* provincialium confirmabat, partim alios in locum priorum substituebat. Ita *Adolphus* commisit *Ottoni de Ochsenstein*, filio sororis Regis *Rudolphi I.* Alfatiam, & quæ ab ea parte Rheni sunt; *Eberhardo* autem, Comiti *Catimelibocensi*, quæ ab altera parte. Quo facto civitates Imperiales *præfectis* Regis *Adolphi* fidelitatem promittebant. Fere solus *Reßelmanus*, prætor *Colmaria* fidem dare recusavit, nisi *Advocatus*, *Otto de Ochsenstein* Regis nomine officium prætoris ad vitam Regis confirmaret ipsi; civitate ex pullos non reducere, atque oppidum non vi intrare promitteret. Hæc *Advocatus* pollicebatur, ea quidem conditione, & recepta fide, ne civitas *Colmarienfis* alii, quam Regi *Adolpho* traderetur. Atque ita Rex, otio reconciliato, ante diem Christi natalem ingressus est *Colmariam*. (f)

## ACTA

- (c) Annal. Colmar. ad a. 1292. Obrecht prodr. rer. Alfat. C. XIII.  
 (d) Lunigii Part. Spec. Cont. III. Abs. III. p. 103. Ungeld idem esse videtur, quod *Acise*, *Ilmgeld*, *Ohmgeld*, Licrut. Conf. *Besoldi* Thesaurus fact. p. 1082.  
 (e) Estor de Ministerialibus p. 183. *Hessen-Darmstädtisches* Memoriale an den *Kayser* gegen die Stadt *Weßlar* in *Beilage*, p. 87.  
 (f) Annal. Colmar. l. c. Obrecht l. c. Igitur errat *Fugger*, existimans, inter *Præfectos* Imperiales referendum esse *Walramum*, fratrem *Adolphi*: huic enim non ejusmodi nominis erat frater, sed unus *Diether*, qui vir sacri ordinis a. MCCC. *Archiepiscopus* *Trevirensis* factus est. Conf. *Hagelgans* *Nass. Geschl.ichtstafel*, p. 6. Eundem errorem fovet *Hübner* & auctor *Chron. Carionis*, conf. *J. Jac. Reichards* *kleine Ausführungen*, P. II. p. 297. Atque cum *Adolphus* Comiti *Catimelibocensi*, in cujus ditione fuit *Rhenoselsa*, oppida ex altera parte Rheni gubernanda tradidit, non vere judicat *Dillichius* in *Chron. Hass.* P. II. p. 175. Scribens, *Adolphum* hoc tempore latronum speluncas Germaniæ

ACTA REGIS ADOLPHI

A. MCCXCIII.

**P**lura constituere in Alsatia nec res jam desideravit, nec Rex diutius morari per alia negotia potuit.

Jam sub auspiciis hujus anni *Tiguri* adventans, ab exhilarata civitate suscipiebatur: namque illa ejus studiosa fuit admodum, & *Adolpho* adepto imperium gratulata, & suorum privilegiorum confirmationem hoc anno consecuta erat. (g)

Inter hæc gaudia *Tiguri* d. XI. Jan. etiam privilegia civitatis *Northusii* confirmavit. (h)

Nec non reliqua *Helvetia* rebus *Adolphi* studebat. Namque jam *Rudolphus I.* a filio *Alberto* impulsus, ceperat consilia, in *Helvetia* novum Ducatum parandi, ejusque libertatem præcidenti. Quem ad modum vero *Albertus* vivo parente ea causa *Helvetios* habebat adversos, ita etiam post obitum illius pro libertate sua summa ope nitentur. Itaque a partibus *Adolphi* eo lubentius stabant, quo sæpius illum suorum privilegiorum tutorem cognoverant. Rex vero in primis tres Pagos *Suitensem*, *Uriensem*, & *Subsilvanensem* sibi maxime fidos invenerat, cum *Albertus Adolphi* esset hostis: quod adeo illius animum incendit, ut is Imperio potitus post mortem *Adolphi* iterum iterumque in istos vindicare conatus sit. (\*)

Postquam igitur jam *Adolphus* tam diu in *Helvetia* moratus est, quam per rationem temporis licuit, ex ea petiit *Sueviam*, & per varia illius oppida iter fecit.

Illum d. XXVIII. Jan. deprehendimus *Ravensburgi*, cujus jura & privilegia a *Rudolpho I.* concessa renovabat. (i)

Die XXIX. Jan. *Biberaci* *Suevici*, precibus civitatis *Leutkirchæ* adductus, huic eadem, quæ antea *Lindaviæ*, privilegia largitus est. (k)

E 3

Eodem

vastasse, & *Rhenofelsam* per annum & duos menses frustra oppugnasse: id potius a confederatis *Rheni Principibus* a. 1255. factum esse constat. Idem *Dillichius* l. c. Sine consensu aliorum scriptorum temere contendit, *Adolphum* a. 1292. castrum *Altenburgum* in vicinia *Alsfeldii* destruxisse. conf. *Teuthornæ* ausführliche Geschichte der Hessen. B. V. p. 79. seq.

(g) Büschings N. Erdbeschreibung, Th. XI. p. m. 41.

(h) Ayermanni Syllog. Anecd. p. 303.

(\*) Büsching l. c. p. 21.

(i) Lunigii Part. Spec. cont. IV. Th. II. p. 211.

(k) Idem Part. Spec. cont. IV. Th. I. p. 1286. Etsi igitur *Trithemius* in annalibus *Hirsaug.* p. II. p. 58. puter, *Adolphum* sub fine Januarii hujus anni *Moguntia* conventum Principum habuisse, tamen non video, quomodo id huic ordini rerum respondeat: alii etiam scriptores de hoc conventu tacent.

Eodem die & loco ad exemplum *Rudolphi I.* mandabat, ut tributum omnium bonorum intra muros & metas civitatis *Wetzlar*ensis fitorum, sive a viris Ecclesiasticis, sive Secularibus possideantur, exigeretur, sicut pristinis temporibus solvere consuevissent. (1)

His itaque locis *Sueviæ* peragratis, Rex pervenit *Eslingam*, ibique mense *Februario* & prioribus *Martii* diebus se tenebat. Caput autem illud erat, ut hoc loco curiam Imperialem celebraret. Igitur omnes *Sueviæ Comites, Barones & Nobiles* ad pacem publicam jure jurando confirmandum convocabat: qui omnes præter *Eberhardum*, Comitem *Wirtembergensem*, Regi morem gerendum esse putarunt. Atque idem *Eberhardus* is erat, cujus causa potissimum hic conventus *Eslingæ* haberetur. Is enim fuit homo bellicosus, fortis, audax & impatiens quietis, qui semper vixit in armis, & multa cum vicinis prælia gessit; cujus superbiæ jam ante documenta dederat, cum in *Rudolphum* eum *XV.* comitibus conspirasset. Deinde partes *Ducis Alberti* contra *Adolphum* secutus est. (m)

Quum igitur illi a viris illustribus *Eslingæ* congregatis periculum esset metuendum, præsentî tempore se Regi submisisse videtur. Namque non multo posthanc curiam *Eberhardum* apud *Adolphum* nostrum *Spiræ* fuisse legimus. (n)

Quid? quod Regina, quæ illo tempore in castro *Achalm* in monte prope *Reutlingam* versabatur, ab *Eberhardi* conjuge invitata *Stutgardie* sacro lavacro filiae ejus interfuit: quod invito Comite factum esse non credendum est. (o)

Cæterum Rex inter hæc pacis publicæ negotia etiam aliis rebus *Eslingæ* dedit operam. Namque d. *XXVIII. Febr. Monasterii Lorchenensis* privilegia habuit rata. (p)

Id quod etiam *Monasterio Adelbergensi* in confirmatis privilegiis a *Friederico I. & Henrico VII.* concessis *Calendis Martii* contigit. (q)

Die *III. Martii* pactum, quo *Adelheida*, filia *Thuseri & Hohensfeldi* quædam bona *Monasterio Babenhufio* vendidit, *Eslingæ* confirmabat. (r)

Quibus *Eslingæ* perfectis, alias urbes in vicinia obibat, ea quidem mente, ut pacî publicæ præsentia sua inserviret. Simul varia privilegia aliorum locorum confirmandi non defuit Regis studium. *Eslinga* iter faciebat *Halam Suevorum*, *Rotenburgum* ad *Tubarim*, & inde *Spiram*. (s)

Die

(1) Gudenus Sylloge I. p. 484.

(m) Chron. Wirtemb. in Schannat. vindem. litterar. Coll. X. p. 24.

(n) Lehmanns Speyer. Chronik, p. 574.

(o) Chron. Wirtemb. l. c.

(p) Crusius annal. Suev. P. III. p. 175.

(q) Befold Monument. Wirtemb. p. 20.

(r) Crusius l. c.

(s) Idem l. c.



Die XVII. Martii *Spire* privilegia hujus urbis ab Rege Rudolpho I. roborata, comprobavit. (t)

Die XVIII. Martii *Marquardo*, cognomine in *Kirchoffe*, civi *Eslingenfi*, dimidium vestigialis, quod pater ejus *Eslinge* obtinuerat, *Spire* liberaliter concedebat. (u)

Postea Rex se convertit *Heilbrunam*, ubi nobili viro, Gerlaco de *Breuberg*, qui ab *Alberto*, Comite *Lœwensteineni* castrum *Magenheim*, & oppidum *Bunninckheim* emerat, libellum emtionis d. XXIII. Martii auctoritate regia firmabat sua. (x)

*Adolphus*, *Heilbruna* relicta, d. XXVI. Martii *Festo die cœnæ Domini* in castrum *Achalm* prope *Reutlingam* se contulit: quo loco cum Regina quæ hic diversabatur festum paschale d. XXIX. Martii celebravit. (y)

Deinde *Adolphus* Calendis Aprilis *Reutlingæ* nobis occurrit, privilegia *Monasterii Hirsaugiensis*, ab Imperatore *Friderico II.* impertita renovans. (z)

Jam in eo erat, ut Rex ad *curiam Imperialem* iterum celebrandam ex *Suevia* peteret *Norimbergam*. (a)

Atque in hac urbe illa pervulgata *constitutio de insulis in Rheno noviter natis* per communem Principum sententiam d. XIV. Aprilis prodiit. (b)

Inter

(t) *Lehmanns Speyer. Chron. l. c. Lunigii P. Spec. cont. IV. Th. II. p. 474.*

(u) *Lunigii Part. Spec. cont. III. Abs. I. p. 213.*

(x) *Joannis Spicileg. l. p. 389.* Fuerat Gerlacus de *Breuberg*, quem alii *Brumberg*, alii *Bruborgk* vocant, *Justitiarius Rudolphi I.* multumque apud eum valuit gratia, conf. *Joannis spicil. p. 379.* *Heineccii Antiq. Goslar. p. 306.* Post *Rudolphi* obitum *Adolphus* utebatur ejus opera in *Thuringia* inprimis, *Joannis l. c. p. 392.* Idem postea *Regi Alberto I.* officia præstitit. *Lunig. C. G. D. T. II. p. 483.* *Joannis l. c. p. 343.* *Schannat Cod. prob. Hist. Fuld. p. 222.* Præterea *Albertus* Comes de *Lœwenstein* in hac tabula, qua emtio confirmatur, dicitur filius *Rudolphi I.* *Regis Romanorum*, & ante illius matrimonium ex concubina genitus esse videtur. De alio hujusmodi filio *Rudolphi I. Alberto de Schenkenberg* refert *Tolner* in *Cod. Hist. Palat. 17.*

(y) *Crufius l. c.*

(z) *Besold Monum. Würtemb. p. 344.* Inter testes refertur *Eberhardus* Comes de *Wirtemberg*, adeoque hoc tempore *Adolpho* reconciliatus esse videtur.

(a) *Tolner Hist. Palat. p. 416.* Illum vero per *Herbipolim* & hac ratione per ambages iterfecisse *Norimbergam*, ut putat *Crufius l. c.* non verosimile videtur. Hinc *Tolneri* sententia probabilior est.

(b) *Geldast. constitut. Imperial. P. I. p. 315.* *Lunigii Part. gen. cont. II. p. 186.* *Tschenn. Annal. p. 511.* *Marq. Frœheri Constitutio Adolphi Regis de insulis Rheni & diversis aliis capitibus.* Quæ in hac re explicatione indigeant, ipse *Frœher* illustravit, qui putat, hunc conventum *Norimbergensem prima Comitissa Adolphi Imperialia* fuisse: Sed obstare videtur *Concilium Colonia* superiori anno habitum. Ipse *Adolphus* hunc conventum *curiam generalem*, & *Geldastus* illam epistolam recessum *Comitorum Norimbergensium* vocat.

Inter alios *Principes*, qui *Norimbergæ* convenerant, præfens erat *Albertus degener*, Landgravius Thuringiæ: hic enim *Ulrico*, Comiti Hanoviæ pro homagio, quod ei fecerat, marcas trecentas argenti Friedbergensis ea quidem conditione promiserat, ut de summa pecuniæ, ab *Adolpho* Rege certis diebus *Alberto* solvenda, ducentas marcas expectaret. Quum igitur *Adolphus* *Alberto* illam pecuniæ summam ob propositam venditionem Thuringiæ debiturus videatur, ipsæque litteræ *Alberti* ad pignora *Adolphi* futura respiciant, apparet, hos utrosque hoc tempore de *venditione Thuringiæ* deliberasse *Norimbergæ*. (c)

Præterea *Godfridum* de *Eppenstein* in hac curia *Norimbergensi* fuisse præsentem, ipsius Regis utimur testimonio. Quemadmodum enim *Adolphus* illi superiori anno XXV. marcas a *Judæis* *Francofurti* capiendas d. III. Nov. *Oppenheimii* in feudum concesserat, ita ei Rex parem summam marcarum *Francofurti* redeuntium iusto feudali titulo *Norimbergæ* d. XXIV. Aprilis assignavit. (d)

Neque *Norimbergenses* gratia præsentis Regis utendi prætermittent locum, cum illorum precibus impulsus, omnia eorum jura & libertates d. XXIX. Aprilis liberaliter confirmaret. (e)

At non multo post Rex in *Cadolzburg*, castro onoldino, versabatur, ubi diè V. Maji cuidam *Conrado Stromeyer* munus Forestarii *Norimbergensis*, quod pater & avus ejus *Norimbergæ* sustinuerat, liberaliter mandavit. (f)

Paucis vero diebus interjectis Rex *Norimbergæ* judicium exercebat, cum quidam *Sulfus* caussam *Arnoldi*, *Episcopi Bambergensis* ageret, qui de variis injuriis *Henrici*, *Præfecti Weida* vehementer questus, opem ab *Adolpho* petebat (g)

Quæ

(c) Exemplar tabulæ hujus argumenti est :

„ Nos Albertus, Dei gracia Thuring. Lantgravius & Saxonie Comes Palatinus,  
 „ recognoscimus nos presentibus literis obligando, quod nobili viro Ulrico  
 „ de Hainowe pro homagio, quod nobis fecit, dare promittimus & solvemus  
 „ marcas trecentas argenti Fribergensis in terminis infra scriptis, videlicet  
 „ infra hinc & festum beate Johannis baptiste proximum affuturum centum  
 „ marcas, & ex nunc & a festo B. Martini ad annum proximum residuas mar-  
 „ cas ducentas de summa pecuniæ a Serenissimo Domino nostro Adolfo rege  
 „ Romanorum in ipsis terminis nobis danda, quod si ipse Dominus rex nobis  
 „ pro solucione facienda in secundo termino nobis pignora obligavit, ex  
 „ ipsis pignoribus sibi assignabimus reditus viginti marcarum producentis mar-  
 „ cis hujusmodi redimendis, dantes sibi has nostras literas sigillo nostro mun-  
 „ nitas in testimonium super eo. Datum apud Nurenberg Anni Domini  
 „ MCCXXXIII. in die beati Georgii Martiris.

(d) *Senckenberg Select.* T. I. p. 185.

(e) *Kurze und bestgegründete Gedanken über das Alterthum und den Anfang der Unmittelbarkeit der Reichsfreyen Stadt Nürnberg.* 1743. p. 25.

(f) *Schwarzii dissert. de Butigulariis*, p. 32.

(g) *Hoffmann in Annal. Bamberg*, p. 181.

Quæ negotia postquam *Adolphus* Norimbergæ perfecerat, se ad *Rhenum* & *Wetteraviam* convertendum putavit.

Die XXIII. Maji *Boppardie* se tenebat; Magistrum & fratres hospitalis sanctæ Mariæ *domus Teutonice* singulari tutela amplecti promittens, omnia illorum privilegia, libertates & immunitates confirmabat. (h)

Nec confestim hoc loco demigravit. Bello inter *Joannem*, Comitem Hannoniæ & *Guidonem*, Flandriæ Comitem conflato, Rex *Boppardie* d. XXIX. Maji misit mandata, ne quisquam nobilis Imperio Romano obnoxius Comiti Flandriæ contra Hannoniensem ferret auxilium. (i)

At rem aliam non minoris momenti illo tempore Rex dijudicabat *Boppardie*. Namque cum *Sigfridus* Archiepiscopus Colonienfis, & *Joannes*, Comes *Sponheimensis* de castro *Werde*, hodie *Kaiserswerth* contentionem haberent, factum est, ut hi in conventu variorum Comitum & Nobilium *Adolpho* uterentur arbitro & disceptatore, ejusque auctoritate regia impulsu d. XXX. Maji ad amicabilem pactionem venirent. (k)

D. XIII. Jun. aderat *Hagenburgi*, ubi *Eberhardo*, Comiti *Catimelibocensi* vestigal *Boppardense* confirmavit (l)

Plurimum vero temporis consumpsit *Friedbergæ*, quod ex variis litteris cognoscitur. Hoc enim loco d. XX. Jun. *Monasterio Haynæ* in *Hassia* ad tuenda privilegia patrocinium promisit suum. (m)

Pari ratione Regis gratiam experiebatur *Monasterium Altenberg* prope *Wezlarium*, quod brevi tempore quatuor epistolis illius saluti inservientibus *Friedbergæ* ornavit. Die XXIV. Jun. omnia privilegia ab Rege *Henrico* & *Rudolpho I.* illi concessa habebat rata. (n)

Eodem die testabatur, se cognovisse litteras; signis *Henrici*, Landgravii *Hassia*, ejusque matris *Sophiæ*, nec non *Comitis de Wittgenstein*, castri quoque de *Calsmunt*, & civitatis *Wezlarie*nsis obsignatis, in quibus *Comites de Solms*, in isto *Monasterio Altenberg* nullum jus advocatiæ se obtinere,

F

pro-

(h) *Hist. diplomat. Unterricht des Deutschen Hauses zu Marburg*, Besh. c. n. II.

(i) *Martene Thes. nov. Anecd. T. I. p. 1255.*

(k) *Justitia possessionis Electoralis Ecclesiæ Colonienfis super Cæsaris Insula*, vulgo *Kaiserswerth* 1724. in adjunctis n. 7. Nomen mensis quidem in tabula deest, sed facile *Junius* subintelligitur, quia Rex alio tempore hujus anni non fuit *Boppardie*.

(l) Super est hujus rei quoddam fragmentum his verbis scriptum: Litteræ confirmationis super teloneo in *Bopard* pro *Eberhardo*, Comite in *Cazenelbongen*. Datum *Hagenberg*, anno 1293. Idibus Junii.

(m) *Kuchenbeckeri Anal. Hass. Coll. VIII. p. 295.*

(n) de *Ludolf* in *App. II. ad Observ. forens. cont. p. 411. Gudenus C. D. T. III. p. 1178.*

professi sint. Simul in his litteris *Adolphus* confirmat, illud *Monasterium* nulli advocato, præter Regem Romanorum, obnoxium esse debere. (o)

Die XXIX. Jun. oppidis *Francofurti*, *Friedbergæ* & *Wetzlarie* hoc *Monasterium Altenberg* ita commendabat, ut illud ab omni injuria defendendum curarent. (p)

Eodem die omnia jura, libertates & honores, quibus hoc *Monasterium* regnante *Friderico* & *Rudolpho* gavifum sit, auctoritate sua confirmavit. (q)

Post hæc Rex *Francofurti* nobis obviam venit, quod ex variis litteris ibi datis intelligendum est. Namque d. IX. Jul. *Gerhardo*, Archiepiscopo Moguntino denuo benevolentiam ostendit suam, affirmans, se in causa civium & Judæorum Moguntia perpetuam pro illius ornamentis & commodis propagationem suscepisse. (r)

Paucis post diebus *Ulricus*, Comes Hanoviensis *Adolphum* nostrum *Francofurti* adiit, qui nihil commiserat, cur conspectum sui quondam familiarissimi fugeret. In quo ornando & amplificando Rex idem exstitit, qui fuerat antea illi enim ob præstitam fidelitatem in augmentum feudi sui castrensis *Gehlhuse* ducentas marcas argenti d. XIV. Jul. ultro promisit. (s)

Illud vero beneficium ex voluntate *Gerhardi* Moguntini evenisse, vix crediderim.

Eodem die Rex *Monasterio* sanctimonialium ordinis pœnitentium, quod erat *Francofurti*, benevolentia dedit pignora, cum ex nemoribus Regis vicinis ligna necessaria, quotidianis ignibus applicanda, in annum recipiendi fecisset potestatem. (t)

Quo factò *Adolphus Friedbergam* revertitur, & amplius octo diebus in hac urbe commoratus, variis beneficiis clarus. *Monasterium* Sanctimonialium in *Kirshgarten* extra muros *Wormatiæ* situm, ob inopiam suam a Rege petebat, ut

(o) Id. I. c. p. 412. Gud. C. D. T. II. p. 276.

(p) Id. I. c. p. 413.

(q) Id. I. c.

(r) Gudenus C. D. T. II. p. 277. *Crusius* I. c. putat quidem, *Adolphum* nostrum cum conjuge sua d. VI. Jul. quibusdam nuptiis ad *Weinsbergam* celebratis interfuisse: Sed longinquitas locorum huic sententia obstare videtur, quia regem d. XXIX. Jun. *Friedbergæ*, & d. IX. Jul. *Francofurti* præsentem fuisse non est dubium.

(s) Nos *Adolphus*, Romanorum Rex — ad noticiam — deducimus, quod nos attendentes sincere fidei constantiam & obsequia fructuosa, quibus nobilis vir *Ulricus* de *Hanouwe* consanguineus noster dilectus erga nos & Imperium se semper exhibet indefessum, & volentes ipsum perinde nostre liberalitatis numeribus largiflue consolari sibi in augmentum feudi sui castrensis in *Geylenhusen*, ducentas marcas argenti promittimus nos daturos. — Datum apud *Franckenvort* II. Idus Julii. Anno Domini millesimo, ducentesimo nonagesimo tercio.

(t) *Lessner* vermehrte *Frankfurter Chron.* P. II. p. 87.

ut *jus patronatus* Ecclesie in *Hasehaco* Wormatiensis dioceseos, quod ad Regem Romanum pertinebat, usibus suis concederet: atque hoc, quod volebant, d. XXX. Jul. Friedbergæ impetrarunt. (u)

Antequam vero *Adolphus* Friedbergæ discedebat, omnia hujus urbis jura, a divis Imperatoribus impertita, d. IV. Aug. confirmavit. (x)

Eodem die constituēbat Rex, ne bona ad Ecclesiam devoluta a consuetis tributis Friedbergæ eximerentur. (y)

Nec non hoc die litteris mandavit, ne quis cives Friedbergenses extra civitatem ad certamen singulare provocare, aut illos in *judicium extraneum* accedere auderet, nisi iustitia denegata. (z)

Aliud privilegium Regis hoc die editum id voluit, ut *tributa* omnium bonorum in urbe sitorum, sive illorum possessores sint ecclesiastici, sive seculares, urbi Friedbergæ penderentur. (\*)

Eundem diem, quo morabatur Rex Friedbergæ, duabus aliis epistolis Rex fecit clarum, quarum una Friedbergensibus bona *feudalia* possidere permisit. (a)

Altera ostendit, se, si post obitum *Rudolphi I.* aliquis flagitii contra ipsum commississet, illis veniam & impunitatem dare. (b)

Denique d. VIII. Aug. Rex Friedbergæ decrevit, ut incolæ *Suburbii* iisdem honoribus, libertatibus & juribus, quibus cives intra muros Friedbergæ, perfruerentur. (c)

F 2

Inte-

(u) Schannat. Cod. Hist. Wormat. Prob. p. 149.

(x) Lunig. Part. Spec. cont. IV. Th. I. p. 729.

(y) Georgisch Reg. Chron. Dipl. T. II. p. 134. n. 41. Lunig. Spic. Eccl. P. I. p. 174.

(z) Lunig. Part. Spec. cont. IV. Th. I. p. 730.

(\*) Georgisch l. c. n. 44. p. 135. Lunig. Part. Spec. cont. IV. Th. I. p. 730.

(a) Nos *Adolphus*, Romanorum Rex — ad noticiam publicam cupimus pervenire, — quod ob favorem, quem de prudentibus viris, quibus in Friedberg gerimus, — hanc gratiam duximus faciendam, videlicet, quod jura feudalia in perpetuum habere, tenere & possidere valeant — Datum in Friedberg II. Non. Augusti, anno Domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo tercio.

(b) *Adolphus* Romanorum Rex — viris, scabinis, consulibus & universis civibus de Friedberg — gratiam suam. — Vobis devote petentibus, ut si in aliquo post tempora *Rudolphi* — quacunq; machinatione contra nos & imperium excessistis, — id vobis nostra indulgeat mansuetudo, omnes excessus hujusmodi relaxamus & a vobis penitus abolemus — Datum apud Friedberg pridie Nonas Augusti — Anno Domini millesimo ducentesimo, nonagesimo tercio. —

(c) *Adolphus* — Romanorum Rex — volumus, concedimus & annuimus, — quod omnes illi homines, qui extra portas oppidi nostri Friedbergæ circumcirca in suburbio — se receperunt, vel adhuc se receperint —

Interim venerant nuncii, qui de *Colmaria* defectione deferrent: quibus Rex permotus *Coloniam* proparabat, ubi ejus congregata copia illum expectabant, ut peterent *Alfatiam*. Igitur Rex cum copiis suis paratis, quarum magna erat pars *Colonienfium*, iter ingressus est. Per regiones superiori Rheno adjacentes ducebat exercitum, qui progrediens paulatim augebatur, aliis Imperii ordinibus, Rheno vicinis, auxilia sua adjungentibus. *Colmarienses* imperata *Adolphi* facere recusabant, fidem, quam superiori anno dederant, turpissime violantes. Cujus defectionis caput erat *Conradus*, *Episcopus Argentinensis*, qui a partibus *Alberti* Austriaci contra Regem *Adolphum* stabat. (d)

Inter socios *Conradi* refertur ipsum *Argentoratium*, frater *Episcopi Friederici de Lichtenberg*, viri nobiles de *Ochsenstein*, *Comites Ottingæ*, ut *Langravii Alfatia*, *Comites Freybergæ*, *Biponti*, *Hohenlohæ*, *Rappolsteina*, cum multis aliis comitibus, Dynastis atque oppidis. (e)

Sunt, qui hujus defectionis culpam ad violentiam *Praefectorum* Regis, inprimis equitis de *Bergheim* transferant. (f)

At non obscurum est, *Episcopum* *Argentoratensem* ob *Adolphum*, cui vel maxime erat infestus, quovis modo Equiti de *Bergheim* intulisse injuriam, quippe qui illius castrum *Crax* prope *Germershemium* hostili animo destrui, ex ejusque lapidibus congestis oppidum *Lichtenaviam* aedificari iussit. Pari modo oppidum *Germershemium* saepius vexavit. (g)

Inprimis autem appetebat *Colmariam*. Quod ut ex sententia succederet, utebatur opera *Waltheri Rasselmanni*, praetoris *Colmariensis*, qui pro alieno scelere & flagitio, sua quasi pro gloria nitebatur. Hic enim consilio *Episcopi* adductus, fratri illius *Friederico de Lichtenberg*, *Praeposito* *Argentoratensi* urbem

eisdem honoribus, libertatibus & Juribus gaudeant, & fruantur, quibus cives nostri *Fridbergenfes* gaudent — — Datum apud *Frideberg* VI. Idus Aug. An. Domini MCC. nonagesimo tercio. — Quae Excerpta *Chron. Riedeseliani*. in *Kuchenbeckeri* Anal. Hass. Coll. III. p. 12. seq. de praesentia *Adolphi* in *Hassia* ad a. 1293. referunt, ea commodius suo loco infra dicentur.

(d) *Annales Colmar.* ad a. 1293. *Chron. Colmar.* p. all. p. 50. seq.

(e) *Serzogs Elssasische Chronik*, L. II. p. 49.

(f) Ita *Albertus Argent.* Scribit: Cuono de *Bergheim*, miles praeses Principis in *Alfatia*, elatus, infestans *Comitem de Lichtenberg*, *Episcopum*, & etiam cives *Argentinenses*, contra eos Principem incitavit: Cui *Konigshoven* in *Chron. Alf.* Cap. II. p. 120. his verbis assentitur: Die zween Landvogte und der alte Ritter von *Bergheim* beschadeten *Elssa* gar sehr.

Sed nihil est indicio, *Alfatienfes* de injuria conquestos esse cum *Adolpho*, vel hunc illis justitiam denegasse. Ille vir nobilis de *Bergheim*, quem *Koenigsboven* Equitem senem vocat, non demum ab *Adolpho* constitutus erat, sed fuit unus ex *Officiatis Rudolphi I.* qui a. MCLXXXVI. in civitate *Argentoratensi* fuerat adscriptus, *Wenckeri* Collect. jur. publ. p. 125. adeoque tum honeste de illo judicabant. Itaque dubium videtur, illum jam aetate gravem spiritus sumfisse, & ab officio suo recessisse.

(g) *Serzog* l. c. P. III. p. 231.

urbem gubernandam tradidit. Ne vero quicquam defset, quod ad eam defendendam pertineret, in seipsis senatoribus & civibus *Anshelmum* de Rappolstein d. X. Sept. cum praesidiis Colmariam intromisit, civesque promissa fide ad jusjurandum adegit. Ipse autem *Anshelmus*, fratri suo *Henrico* inimicissimus jam viribus valens, idoneum tempus ratus illum persequendi, illum castrum Kinzhemio expellebat, praedasque ex oppido Turckhenio agebat.

Quae cum ita essent, Rex *Adolphus* omnia in bellum consilia convertit. *Gerhardus* Moguntinus *Sigfridus* Colonienfis, *Episcopus* *Spirensis*, *Basilienfis*, *Comes Ferrete*, *Henricus* de Rappolstein, aliique Comites, nec non variae *Helvetiae* civitates, Alberto Austriaco adversae, copias suas cum exercitu *Adolphi* conjungebant. Unus fere Albertus Austriacus opem petenti Regi ambigue respondebat: *Si Principes in obsidione defecerint, & ego veniens obsidebo, quamcunque volueritis civitatem.* Quod iterum dictum est in *Adolphi* opprobrium, qui scilicet infra Principem Principumque confortionem longo intervallo inter Comites adhaerescat. Ita *Adolphus* animo & copiis paratus *Alsatie* fines ingressus est. Primum invasit Rapoldi villam, cui insignem calamitatem intulit, licet expugnare non potuerit, sed cum Rex videret, Colmariam nullis indigere rebus, quae ad defensionem usui erant, eandemque extrema experturam esse suspicaretur, agmen suum in duas partes divisit, quarum altera *Colmariam* d. XXVIII. Sept. claudebat, altera hostium castra & munimenta expugnare adortus est. Castrum *Vilerium* fuit captum & ad solum dirutum. Deinde castrum *Werdam* d. XVII. Oct. in potestatem redegit suam. Eadem fuit fortuna castrum *Gamer*. Quid? quod nihil omittebatur, quod ad vastandas *Anshelmi* de *Rappolstein* possessiones pertineret. At Rex inter oppugnandam *Colmariam* id agebat, ut aquam arcens, a molis intra urbem versandis derivaret. Jamque in obsidione Colmariae per spatium fere sex hebdomadam haerant, cum pauperes adhuc mola versatili usi, penuria premerentur, urbemque Regi tradendi varia caperent consilia. Neque paulo post etiam multis civibus opulentis deditiois consilium placebat. Clam consilia cum Rege communicabant sua, qui quovis modo suam opem pollicebatur. His igitur auctoribus *Adolphus* praesidia oppidi ea mente evocabat, ut, si erupissent, clausis portis reditu in Colmariam excluderentur. Sed *Anshelmus* de *Rappolsteini*, & *Rasselmannus* ab eruptionis consilio abhorrebant. Quare cives aliud consilium agitantes, statuebant ante lucem domum incendere, ut, si oppidani resurgendo flammam occupati essent, aditus pareret Regi. Sed haec quoque spes illos fefellit.

*Conradus* *Episcopus* audiens, animos oppidanorum dissipatos esse, praesidium urbis laborantis augere constituerat. Quod etsi senatui placebat, tamen plurimi cives clamabant: *nolumus plures homines introduci.* Quum igitur cives nihil per dolum efficere possent, illi desperatis rebus, salutis suae acrioribus remediis subveniebant, & portarum clavibus vi potiti, Regi circa initi-

um Decembris portas aperuerunt. Regis milites postquam in urbem irrupere, diverſi hoſtes quærere & tumultu omnia miſcere cœperunt.

Quo factò *Friedericus de Lichtenberg* ex mala conſcientia digna timens, paucis comitantibus, mœnia transgreſſus, fuga petit ſalutem. Interim *Anshelmus* de *Rappolſtein* reperitur, occultans ſe *Monasterio*, quo initio pavidus & deliberaturus cum *Monachis*, profugerat.

Cives illum, uti juſſi erant, ad Regem referunt. *Raſſelmannus*, vili tunica circumdatus, cum quatuor viris noctu urbe effugerat. Rex igitur ira incenſus nihil magis optabat, quam ut hic multorum ſclerum auctor ſine mora caperetur. Quæ uti celerius procederent, huic, qui illum proderet, pollicebatur præmium C- Libr. Jam is in loca caſtro *Egesheim* propinqua pavidus conceſſerat, cum illum quædam mulier caſu agnoſceret, & re compta, duo viri eum ex fuga retractum Regi tradere conarentur. Sed nonnulli milites *Episcopi Baſilienſis* illum ex manibus virorum ereptum in caſtrum *Schwarzenberg* introduxerunt. Quo nuncio Rex magnopere delectatus, ſtatim præmia, quæ propoſuerat, ſolvere juſſit. Qui cum *Raſſelmannum* ab *Episcopo Baſilienſi* expoſceret, hic quidem pauliſper dubitabat, metuens de vita hujus viri, ſed deinde Regi geſſit morem, eique *Raſſelmannum* tradendum putavit. Rex autem quanquam tam male ab his auctoribus defectio- nis erat habitus, ut de illis jure ſumeretur ſupplicium, tamen aliis deprecanti- bus illorum vitæ pepercit.

Attamen ut in poſterum documentum ſtatuere, quanti ſit fidem juſju- randumque negligere, neve ſpes malorum alatur, *Raſſelmannum* in curru ita ligari juſſit, ut dextra levata, qua fidem poſtea violatam dederat, ab omnibus conſpici poſſet. Quo ſtatu contumelioſo per caſtra & vicinas *Alſatie* urbes vectus eſt. Quem hoc modo ſatis ludibrio habitum, in turrin conjecit, qua clauſus in tenebris, cum filio, ſclerum ſocio, naturæ conceſſit. Sed *Friedericus* de *Lichtenberg* fugitivus denuo ſeditionem conflare ſtudens, *Rappoltipetræ* præſidium imponere conabatur. At cives in fide *Henrico*, *Anshelmi* fratri promiſſa manſerunt.

Pro *Anshelmo* de *Rappolſtein* Imperii ordines interceſſionem interpo- nebant, ut clementius, quam pro meritis, puniretur. Rex quidem, his deprecantibus, capitis ſupplicium remittebat, ſed iſtum equo impoſitum, & laqueis conſtrictum, in conſpectu factioſorum per *Colmariam* contumelioſe duci juſſit, comitantibus amplius triginta ſervis, qui vincti duobus curri- bus vehebantur. Atque ita in Suevicum caſtrum *Achalm* translatus eſt, in eo- que quam diutiſſime custodia tenebatur: neque prius Rex illum dimiſit, quam filios ſuos pro ſe obſides dedit. Præterea magna *Anshelmi* terrarum imminutio facta fuit. *Adolphus* pro impenſis belli unam partem ſibi vindicabat, alterum fratri illius *Henrico*, tertiam filio fratris alterius distribu- bat,



bat, praefertim, cum Anshelmus cum cognatis suis graves inimicitias antea exercuisset, multaque per fraudem de illorum possessionibus detraxisset. Quamvis vero Rex *Episcopo Conrado*, ejusque fratri, civibus Argentorantensibus, Comiti *Werde*, aliisque belli auctoribus jure potuerit irasci, illosque bello persequi jam constituerit, tamen his missis legatis, qui Regem deprecarentur, veniam dedit omnibus, atque istos pacem jurejurando firmare coegit. Otio igitur in Alsatia facto, Rex circiter diem Christi natalem Landaviam demigravit. (h)

Sed haec jam fatis:

Alio tempore, si Deo visum fuerit,

Plura de vita Adolphi dicemus.

(b) Annales Colmar. ad a. 1293. Hartmanni anal. Eremi p. 272. Chron. Colmar. p. alt. p. 50-54. — Capto Domino de Rappolstein, claves portarum per honestum civem, dictum Rebmann, cum civitatis Domino ad Regem transmiserunt. Quare gavisi sunt interni & externi, ac universus Regis exercitus. Dominus Episcopus Argentinensis turbatus ad suos se transtulit festinanter.

Trithemius Chron. Hirsaug. ad a. 1292. (rectius 1293.): Comites autem nonnulli per Sueviam & Alsatiam conspiratione facta, nobiles quosdam & oppidorum cives sibi contra Regem Adolphum conciliaverunt socios, quorum auxilio rebellionem parabant. Quo circa Rex Adolphus Colmariam, Alsatiae vicum obsidione cingens potentes expugnavit, & cepit, oppidanosque jurare in suam fidem coegit, ac prevaluit. Cujus quidem oppidi Capitaneum vel, ut ab incolis dicebatur, Advocatum Rex Adolphus in curru ligatum secum abduxit captivum, Baronem quoque unum de Rappolstein capiens non prius dimisit, quam filios suos pro se obsides dedit. Conf. *Albertus Argem.* p. 109. seq. *Rönigshoven* I. supra citato. *Simleri Thesaur. Hist. Helv.* p. 14.

Caeterum PATRONOS, FAUTORES atque AMICOS  
rei scholasticae rogamus atque obsecramus, ut honorifica sua praesentia SOLEMNIUM NOSTRORUM splendorem augere velint.

HORA POST MERIDIEM SECUNDA:

I.) Ex Classe prima declamabunt bonarum artium alumni.

- 1) Christian. Carol. EYDMANN, Wisbadensis, de excellentia hominis pro reliquit animantibus. Lat. valed.
- 2) Georg. Phil. MAHR, Wisbadensis, de pretio amicitiae. Carm. Germ. valed.
- 3) Philipp. Reinh. DIEFFENBACH, Ober-Rhoda-Emsensis Nassov. de moribus civis Academico dignis. German. valed.
- 4) Jo. Franciscus OTTO, Rhoda-Vilnanus Nassov. de impedimentis veritatis. Gall.

II.)

II.) Ex Classe secunda venient in collocationem de  
noctambulis.

- 1) Gottfrid. Christian KOERNER, Wisbadensis.
- 2) Fried. Martin. DIEFFENBACH, Nieder-Moosa-Riedeselianus.
- 3) Ludov. Conrad. FUNCK, Meilinga-Hassus.
- 4) Jo. Phil. THOMÆ, Lahrensis.
- 5) Jo. Christ. FRIEDERICH, Erbenhemio-Nassov.

III.) Ex Classe tertia & quarta inter se different de præcoci  
Hugonis Grotii eruditione.

- 1) Georg. Fried. Rheinh. SELL, Klingenbaco-Hassus.
- 2) Frieder. Carol. VITRIARIUS, Partenhemio-Palatinus.
- 3) Christian. Valentin. Ulr. ab ULMENSTEIN, Cella-Hannoveranus.
- 4) Wilh. Carol. Christian. BAUSCH, Kirberga-Nassov.
- 5) Jo. Georg. EYSSEN, Francofurtensis.



№ 1627. 8

KO78

ULB Halle


3


006 305 962



11.0







SCHEDIASMA ALTERUM  
DE VITA  
**ADOLPHI NASSOVII,**  
**REGIS ROMANORUM,**  
A DIE, QUO CORONATUS EST, USQUE AD ANNUM  
MCCXCIV.

---

QUO  
AD L U S T R A T I O N E M  
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S I S  
V E R N A M

D. XXV. MENSIS MARTII, A. R. S. clo Io CC LXXVI.

INSTITUENDAM,

**PATRONOS, FAUTORES,**  
ATQUE  
**AMICOS LITTERARUM,**  
QUA PAR EST REVERENTIA, PIETATE ATQUE HUMANITATE,

INVITAT

**JO. PETR. WAGNER,**  
GYMNASII RECTOR.

---

*WISBADII,*  
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.